

N A T O L I A

olim

ASIA MINOR.

PETRVS BELLONIVS in peregrinationum suarum doctissimis obseruationibus, inquit, hanc Asiæ partem ab antiquis Minorem appellatam, hodie à Turcis Natoliam, aut Anatoliam appellari; à Græco vocabulo ανατολη, quod Orientem significat. Eoque vocabulo comprehenditur omnem Asiæ Regionem ultra Propontidem, & Hellespontem (cui Ottomannorum prosapia præest) sitam; nempe vniuersam Phrygiam, Galathiam, Bithyniam, Pontum, Lydiam, Cariam, Paphlagoniam, Lyciam, Magnesium, Cappadociam, & Comagenam. Quarum Regionum conditionem, viuendique morem atque ritum hodiernum scire qui desiderat, eundem Auctorem tanquam testem oculatum consulat. Videat & Andreae Theueti Cosmographiam Orientalem (vt vocat) Nicolai Nicolai, obseruationes Orientales; & Petri Gillij Bosphorum. Rhodum Insulam, quæ huic Asiæ minori adiacet, descripsit Theodoricus Adamæus Suallemburgus.

Æ G Y P T V S.

ÆGYPTI apud omnes Auctores, ob antiquitatem, & in eò res præclare gestas, memoria & claritas nemini non nota est. Hæc mari Mediterraneo, Sinu Arabico, Bugia Regione, & Libyæ desertis clauditur. Nilus fluuius totius Orbis maximus eam per medium secat. In ea sunt Alexandria, Emporium olim celeberrimum, & Cayrus, hodie inter maximas Africæ Vrbes numerata; Et demum stupendæ illæ ob altitudinem omnibus sæculis decantatæ pyramides, inter septem Orbis miracula habitæ. Quorum omnium cognitionem, qui velit, ex veteribus legat, Diod. Siculum lib. 1.; Strabonem; Herodotum; & Plinium. Ex Neotericis Petrum Bellonium; Dominicum Nigrum; & Laurentium Coruinum Noforensem. Sed imprimis Ioannem Leonem, qui eam diligentissimè perlustrauit, omnesque eius Urbium antiquitates, situm, populosque, sigillatim describit. Ludouicus Nugarola dialogum ædidiit, inscriptum Thimotheum, siue de Nilo. Scripsit & Ioannes Goropius Becanus Niloscopium, inter sua Becceselana. Ædidimus nos olim Tabulam Ægypti maiori forma, ex antiquis & recentioribus Auctoribus veterem simul & nouam eius delineationem pro nostro modulo continentem. Hanc autem quam hic cernis, ex Tabulis in Italia impressis habemus.

CARTHAGINENSIS P O R T V S.

CARTHAGINEM Romani Imperij æmulam; & alterum post Romam, Orbis terrarum decus, describere, nostri non est instituti; Sed quia hunc eius Sinum proficere in Italia hac forma vidimus, eum hoc nostro operi etiam inferere non ingratum Geographiæ candidatis fore existimauimus; atque hisce Pauli Iouij verbis exprimere visum fuit. Carthaginensis sinus ea forma est, vt eius ingressus ab alto adnauigantibus abscondatur; quoniam Clupeæ promontorium, antiquis Mercurij & Pulchri vocatum, multum in Occidentem solem sese extendit, & introrsum demum se reflectens, alterum efficit promontorium, olim Appollinis, hodie Zafranum à nautis appellatum. Inde verò lunato ambitu ad Guletæ fauces recuratur; & ad læuam Radæ Urbis calidarum aquarum salubritate celebris, Regionem relinquit. Ex aduerso autem collapsæ Carthaginis situm spectat. Hæc ille. Sed apud Ioannem Leonem etiam loca huic vicina, lustrare licebit.

